



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies tertius et quartus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romæ, 1866

Synopsis Tomi Secundi De Actis Sanctorum Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72907](#)

SYNOPSIS

TOMI SECUNDI

DE ACTIS SANCTORUM OCTOBRIS.

Tonus hic, totius Operis octavus supra quadragesimum, non nisi duos dies, tertium scilicet quartumque, percurrentes, Sanctos Beatosque nominatim recenset quadraginta et octo, de quibus in quatuor classes distributis, eo, quo occurunt, ordine quedam de more hic præmittimus.

EX STATU ECCLESIASTICO.

In hac classe primus est *Dionysius*, qui sæculo in Alexandrinam in Ægypto ecclesiam rexit, sanctitate, eruditione, rebusque adversus haereticos gestis, toleratusque sub ethnici ærumnis clarus, tandemque in sede sua in pace mortuus. Amplum de illo scripsimus Commentarium historicum, in quo ejus gesta collecta et ad chronotaxim reducta sunt, et de ejusdem Operibus actum est. Eadem occasione egimus ibidem de *Fausto*, *Caio*, *Petro*, *Paulo*, aliisque quatuor anonymis ejusdem e clero sociis, quos aliquot Fasti sacri, veluti cum illo coronatos martyrio non recte memorant. Alterum Catholicae fidei illustrem confessorem sæculo v habuit Africa, *Maximianum* episcopum Bagaiensem, a Donatistis propterea dira passum; verum hujus gesta pauca nota sunt, nec par meritis cultus est. Non multa etiam novimus e gestis *Cypriani*, sæculo vi Telenensis in Provincia Galliæ episcopi et confessoris, quem libri i Vitæ S. Cæsarii Arelatensis auctorem putamus. Obscura sunt præter cultum omnia de *Patusio*, sæculo vii vel viii Meldensi in Gallia electo episcopo, sed ante consecrationem mortuo. Incertum est, an *Lucius* presbyter, et *Charemon* diaconus cum aliquot anonymis, prædicti *Dionysii* Alexandrini in confessione socii, obierint martyres, an confessores. *Marsus* presbyter, a Sixto II Papa in Gallias missus, Christum Autissiodorensibus predicavit, apud quos colitur, ac præterea Essendiae in Westphalia, ubi potior illius corporis pars in illustrissimi virginum collegii ecclesia quiescit. *Petronii*, sæculo vi Bononiensis in Italia episcopi, geminam Vitam exhibemus, alteram, non ante annum mcxli ab anonymo scriptam; alteram breviorem multoque recentiorem, a Petro Galesinio. His subjecimus Inventionem reliquiarum, per anonymous sæculi xii, rei gestæ spectatorem. In Commentario prævio multa illustranda fuere de hujus insignis Præsulis gestis cultuque, quem Benedictus XIV Papa etiam auxit, ejusdem capite donato ecclesiæ illi dicate. *Petrum*, in Romano Martyrologio velut episcopum martyrem Damasci annuntiatum, ostendimus esse metropolitam Damascenum, qui a Valid Arabum principe mulctatus lingua, anno cccliii in Arabia Felice

obii; nec forte diversus est a *Petro Capitolio*, eodem die alibi memorato. *Magdalveum*, cuius nomen varie scriptum legitur, sæculo viii strenuum episcopum habuit ecclesia Virodunensis in Lotharingia. Compendium vitæ ipsius sæculo x a Berchario cinnatum insertum habes in Commentario prævio, in quo gesta ejus tam ante, quam post episcopatum, obitusque, sepultura et cultus exposita sunt, et ad chronotaxim relata. Deditus etiam ejusdem Vitam longiore, auctore Hugone Flaviniaciensi.

EX STATU MONASTICO.

Celebratus S. Hieronymo, Sozomeno ac Nicephoro *Hesychius*, S. Hilarionis discipulus, in hac classe primus occurrit. Hunc et ab Hesychio, uno vel gemino, in Menais Græcis alibi laudato, et ab Isicio Toletanorum episcoporum catalogis inserto, diversum esse, observamus, gesta vero illius ex S. Hieronymo accepta in ordinem chronologicum redigimus. Monachis accensendi videntur (non tamen certo Benedictinis) duo *Ewaldi*, patria Angli, gradu presbyteri, qui ad prædicandum Euangelium in Antiquam Saxoniam profecti, ibidem ab ethnici occisi sunt. Illorum Passionem ex venerabili Beda damus; pseudo-Marcellini de iis commenta refellimus; in eorumdem obscurum martyrii (anno ccxcv verisimilis illigandi) locum inquirimus; Coloniensium de advectis adverso Rheno corporibus traditioni non possumus consentire; eorumdem translationem a Pippino Heristallo, atque alteram ab Annone Coloniensi archiepiscopo factas, concessasque aliis locis reliquias exponimus. De *Uthone*, Mettensis, seu Metamnenis in Bavaria monasterii sæculo viii ac ix structore et abbatte, pauca novimus; damus tamen brevia illius Acta per anonymous non vetustum. *Jovini*, vel *Juvini*, qui (forte sæculo ix) post fidem domino suo famulatum eremiticam in Campania Gallica vitam duxisse creditur, cultum probamus, Vitam vero non nisi sublestæ fidei auctore anonymo edimus. Multo plura certioraque diximus de *Gerardo*, monasterii Broniensis in Namurensi Belgii comitatu sæculo x fundatore, qui genere gestisque muneribus clarus, ut cœlestibus pareret monitis, Broniensem ecclesiam instauravit, monachum Parisiis induit, indeque reversus presbyter, prædicto suo monasterio abbas præfuit, multaque etiam alia reformanda suscepit. Vitæ, quam exhibemus ex Mabillonio, auctorem credimus monachum Broniensem ante medium sæculum xi, cui altera præluerit. *Ammon*, seu *Amos*, Ægyptius, compulsus ad nuptias, cum consentiente uxore aliquo tempore continens vixit; deinde in montem Nitriensem secedens, prima in eo monasteria erexit, miraculis, etiam dum vixit, clarus

clarus, magnoque Antonio familiaris. Gesta illius recudimus ex Historia Lausiacá Palladii. Tomum claudunt Acta *Francisci Assisiatis*, Ordinis Minorum fundatoris, cuius Vitas quatuor damus, et hanc tres ex Ms. nostris, hactenus ineditas. Primam ante annum MCCXXX scripsit ejus discipulus, Thomas Celanensis; secundam post dictum annum anonymous, forte Ceporanensis, quam Commentario prævio membratim inserimus, tertiam circa annum MCCXLVI tres ejusdem Sancti socii, Leo, Angelus et Ruffinus; quartam denique S. Bonaventura, circa annum MCCXLI, quam ex editione Sedulii (resectis paucis, quæ Bonaventura non esse, constabat) cum aliis editionibus, nostroque Ms. codice contulimus. Quia vero ad certiorē fidem faciendam in Commentario prævio istas fere solas Vitas illustrandas suscepimus, nec ultra, quam illæ, progressi fuimus, adjecimus Appendicem de gloria posthumâ, et Analecta, in quibus de ejusdem gestis a Waddingo in Annales aliiundate relatis disseruimus atque inter hæc de vere meritoque celeberrima Indulgencia Portiunculana, deque controverso *Francisci corporis* statu, ac paucis etiam de illius Opusculis. At sacra ipsius stigmata, quæ in supra dictis Vitis leguntur, in Commentario prævio luce clarius probata invenies.


EX STATU SÆCULARI.

Ex Martyrologiis die m recensemus martyres, *Theogenem*, aut *Theugenem* vel *Theagenem*, passum Antiochia; *Victorem Urbanum* et *Sapargum* in Africa; *Amponium* aut *Amponium* et *Castum* ignoto loco; *Candidum* vel *Candidum Romæ*. Diem iv auspicamus cum *Crispo* et *Caio*, ab apostolo Paulo baptizatis Corinthis, quorum priorem in eadem civitate archisynagogum fuisse putamus, at non episcopum *Eginensem*; Caium autem verissimiliter eudem esse, quem idem Apostolus ad Rom. 16 laudavit; sed diversum a Caio Macedone, de quo Lucas in Act. Apost. 19. Ex martyribus Trevirensibus duos manipulos memoramus, *Tyrsum* cum *Sociis anonymis*, et *Bonifacium* pariter cum suis. Priorum Acta per anonymous, quæ eorumdem etiam Inventionem ac quædam miracula continent, recudimus ex editione illustriss. Honthemi, subdimusque Appendix de cultu *Bonifacii* ac *Sociorum*, de quibus nulla existat in præmissis Actis mentio. Porro multa tam de his,

quam de illis, eaque occasione de ceteris quoque eo loci sub Rictio Varo martyribus in Commentario disputanda fuere, ex quibus conclusimus, admitti quidem posse sub illo preside multitudinem martyrum Treviris, non tamen omnia, quæ in reperta de iis tabula legere est; posse etiam hodiernos e Legione Thebæa fuisse, ac sub finem seculi iii passos. Actum quoque ibidem est de eorumdem cultu et reliquiis. *Marcum et Marcianum* in Egypto coronatos martyres docent Martyrologia, quorum aliquot ex Historia Ecclesiastica Eusebiana innumeros socios illis adjungunt. Horum omnium martyrum ad annum cciv et aliquot sequentes referimus. Ex Græcorum Fastis etiam innotuerunt *Adauctus* ejusque filia *Callithene*, ob cuius servatam virginitatem ille in Mesopotamiam relegatus martyr occubuit; hæc cum istius corpore Ephesum redux, in pace virgo quievit. *Dasiūm* quoque Axiopoli in Mösia Inferiori, *Marusium, Restitutum*, ac forte *Julium*, Carthagine in Africa, præterea memorant antiqua Martyrologia *Quintinum* colunt Turonenses in Gallia, apud quos castitatis suæ causa trucidatus prohibetur.

EX SEXU FEMINEO.

Præter *Callisthenen* virginem, ac forte *Candidam* martyrem, jam supra memoratas, occurrit *Romana* virgo, Bellovaci (probabilius sub Diocletiano et Maximiano) passa. Acta hujus seculo xi scripta exiguae esse possunt pro gestis auctoritatis, secus, ubi secundum corporis translationem enarrant. Obscura pariter sunt *Mennæ*, seu *Mannæ* virginis in Lotharingia culta. Acta, quod auctorem non satis antiquum habeant. *Domnina*, ejusque filiae *Berinna*, seu *Berenice*, et *Prosope*, Syra, cum martyrii laurea annuntiantur, quia in persecutione Diocletianæ, dum e sponte exilio retrahuntur, miribili exemplo maluerunt sponte sua aquis suffocari, quam fidei et pudicitiae suæ subire periculum. Illas S. Chrysostomus in binis Homiliis laudavit, quarum prolixiore recudimus. Plura diximus de *Aurea* virgine, quam S. Eligius suo Parisiensi parthenoni abbatissem præfecit, probabilius sub Regula S. Columbani. Hac occasione (quod a Majoribus nostris fuerat promissum) pluribus ibi etiam egimus de ejusdem monasterii vicissitudinibus; Acta vero *Aureæ*, nimis sublestæ fidei, prætermisimus.



FACULTATAS